BEDA VENERABILIS. PASSIO THOMAE ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS. VITA CATHARINAE
Österreich, 12. Jh. Seite 98r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift



subito uisione spuali recreata. os & oculos aperuit aspectansq; in celu
sic ad eam quam intuebatur uisionem cepit loqui. Gratus mihi est multum aduentus
tuus. en bene uenisti. Et hoc dicto parumper reticuit. quasi respon
sum eius quem uidebat & ad quem loquebatur expectans. Rursumq; quasi
leuiter indignata. ad iunxit. Nequaquam hoc iam ferre queo. Rursumq; mo
dicum silens tercio dixit. Si nullatenus hodie fieri potest. obsecro ne sit lon
gum spacium in medio. Dixit. & sicut antea parum silens. ita sermonem conclu
sit. Si omnimodis ita definitum est. neq; hanc sententiam licet immu
tari. Obsecro ne amplius quam hec solummodo proxima nox intersit. Quibus dictis.
interrogata a circumsedentibus cum quo loqueretur. cum carissima inquit mea
matre edilburga. Ex quo intellexere quod ipsa ei tempus sue transmigrationis
proximum nunciare uenisset. Nam et integra transacta una die & noc
te. soluta carnis simul & infirmitatis uinculis ad eterne gaudia salutis

Successit autem edilburge in officium abbatie Intrauit
deuota domino famula nomine hildilid. multisq; annis. idem usq;
ad ultimam senectutem eidem monasterio strenuissime & in obseruan
tia discipline regularis. & in earum que ad communes usus pertinent.
semper promptissima prefuit. Cui cum propter angustiam loci. in quo monasterium
constructum est placuisset ut ossa famulorum famularumq; xpi. que ibidem
fuerant tumulata tollerentur & transferrentur omnia in ecclesiam
beate dei genitricis. uno quoque conderentur in loco. quocies ibi claritas
luminis celestis. quanta sepe fraglantia mirandi apparuit odo
ris. que sint signa ostensa. in ipso libro de quo excerpsimus
quisque legerit INVENIET.